



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Bertinvs Abbas. 5. Septembris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

GENTO COPULAT AURUM. Candor argenteus, & paritas Rosaliæ. Si manibus conteritur lilium patitur jacturam candoris ita Virginitas reuivuit attactus: *Tactus, joci, risus, sibili moritura Virginitatis solent esse principia.* S Rosalia, ut floreret illæsa, fugit in solitudinem. Quomodo tu fugis principia morituræ castitatis? reus color interior lilii est charitas. Pretiosa auri et argento conjunctio est quam amat sponsus Virginitatis quomodo conjungis?

5. Odor liliorum allicit apes, & serpentes fugat. S. Rosalia virtutum fragrantia attraxit in obsequium purissimos Angelos: & Oratione sua avertit venenatam patrona contra pestem. Tu quoque *Christi esto hodie odor* Exemplo tuo.

S. BERTINVS Abbas

5 Septembris.

Si vis ad vitam ingredi serua mandata. Matt. 19.

Quam rigidè superi animadversuri sunt in sacrarum benedictionum derisores documento sit severa poena, quâ, sola, eam non petentis; oblivio mulctata est, ut gestum S. BERTINI referunt. Erat hic Sanctus natus Constantiæ in Germania, in Luxoviensi deinde cœnobio, in Burgundia, Monachum induit eique monasterio, postquam Abbas LVII annis præfuit, depositâ gubernatione, ad sanctam

sanctam usque mortem, animæ suæ soli, Deo-
 que servivit. Huic, Abbati adhuc, comes
 Walbertus de Arques conscientia noxas
 confiteri solitus, sumptis Sacramentis, nun-
 quam, nisi petita & accepta ab Abbate fausta
 prece, à monasterio ad suos revertebatur; id
 cum una vice, immemor boni moris, pete-
 re neglexisset, infausto equi casu, corpore
 malè attrito, & fracto crure, domum agrè
 revenit; neque adhibita læso remedia profe-
 cère, donec ipsa vexatio dedit intellectum,
 subiitque animum neglectæ benedictionis
 memoria, interpretatus ergo in poenam se
 torqueri, protinus ad BERTINUM Abbatem
 mittit per quem se de oblivionis tam noxiæ
 culpa accusat, proque afflicti corporis reme-
 dio vinum sibi sacra prece benedictum trans-
 mitti rogat. S. Abbas vini à proxima Missa
 superstitis Reliquias (quæ cum modicæ es-
 sent, divinitus auctæ sunt) bene ægro preca-
 tus, transmisit. Has ut primùm hausit, sani-
 tatem bibit, & ne ingratus esset sospitatori
 Deo, suum comitatum omnem in dotem
 monasterii transcripsit, & ipse deinceps
 Monachus. Quid ad hæc bibuli? qui sanita-
 tem propinantes, mortem sæpè bibunt.

Ex M. Antonio Benalio Buzelinus in Mart. Bened.

L

ME.

De mandatis Dei.

1. **S** Bertinus quoad vixit monachos suos, propo-
sitis Dei mandatis. ad perfectam eorum obser-
vationem hortabatur. Ne Paradisum speres, si vo-
uni mandatorum Dei parere nolueris. Deus Do-
minus est, potest imperare, nos servi debemus ob-
dire. Honos, fides, & obsequium debentur prin-
cipibus à subditis, & Deo ab hominibus: his tribus
officiis functus eris, si observaveris Dei mandata.
an observas? memineris non posse te duobus Do-
minis servire, mundo scilicet & Christo.

2. Nemo immunis est ab observatione mandato-
rum Dei, quæ facilia sunt, nedum impossibilia. Deus
ut supremus Dominus potuit omnes alligare legibus
ut sapientissimus nihil impossibile, ut optimus nihil
grave potuit præscribere. Tot homines cujuslibet a-
tatis, sexûs, conditionis ea observârunt mandata.
Quid, Dei gratiâ adjutrice, *non poteris: quod isti
ista?*

3. Omnibus igitur mandatis pareas, etenim qui
vel in uno peccat, factus est omnium reus, eum qui
manet æternus ignis: pareas statim ne morte oppri-
maris, priusquàm parueris: pareas alacriter: cui servus
potentissimus Rex & suavissimus Dominus est: pa-
reas fortiter, *nam ferenda magis omnis necessitas, quam
perpetranda aliqua iniquitas.* August.

S. ELEVETHERIVS Conf.

6. Septembris.